



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Gallus Numidicus, Ad V. C. Hemericum Bigotium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Præmiaque exuperans meritis, quæ maxima debet
Roma tibi, Biturix votis certantibus optat.

GALLUS NUMIDICUS,

A D V. C.

HEMERICUM BIGOTIUM.

ILLA, vides, cortis dominatrix ales opimæ,
Cœruleis paleis, minioque ardentia multo
Colla gerens, cristamque ostentans vana minacem;
Quæ passu ingreditur per gramina læta superbo;
Expandensque alas pictæque volumina caudæ,
Attonitum visu vulgus plebemque minorem
Territat, & pompa obsequium sibi quærit inani:
Accola Bætis erat, cui vis invicta Deorum
Abstulit humanos mutato corpore vultus.
Digna cani res est: tu dictis adjice mentem

O decus, & nostræ cura Hemerice Camenæ.

Qua propè Getulum, ponti discrimine parvo,
Despectat litus meta Herculis ultima Calpe:
Imperium in populos durum exercebat Alastor,
Geryonis de stirpe satus: sic fama ferebat,
Et mores fecere fidem. Vultu horridus atro,
Nulli aditu facilis: contemnere suctus amorem,
Dum metui sciret: sceptro submittere leges:
Cæterà ventosa melior contendere lingua,
Quam pugnare manu; timidusque lacerare fortis,
Torva virum vix ora ferens. Tamen inclytus armis
Ille celebratur, tanta inconstantia famæ est!
Et volitat longe bello memorabile nomen.
Conveniunt juvenes diversis partibus orbis,

M

Ingentes actus magnorum exempla laborum
Rege sub indomito visuri, Venit & ipse
Gallicus Alcides, sed non manifestus, & inter
Confertos latitans. Urebat scilicet illum
Æmula laus, factisque suis jam noxia virtus.
Excipit hos torva cum majestate tyrannus.
Utque sibi accedat major reverentia, vultum
Coeruleis pingit maculis, minioque rubenti
Inficit in lunam sinuatae cornua barbæ.
Dat collo circum tubulis undantia crispis
Linteæ: rugosumque sinus componit in orbem,
Glutine triticeo saturos, amyloque rigentes:
Mobileque ad numeros latus & vestigia librans,
Magnifice ductum à tergo circumspicit ensẽ,
Seque admiratur, cultuque superbit in illo.
Tum graviter spirans, tumido sic ore profatur:
Discite magnanimi juvenes quam laudibus impar
Fama meis fuerit: veroque minoribus aures
Implerit vestras, licet augeat omnia rumor,
Et nondum visis mendax fastigia rebus
Addat in immensum, Non ulla veretur Alastor
Damna sui decoris: majoremque agnita virtus,
Quam narrata probat. Vos visa docete nepotes.
Ante tamen breviter veteres audire triumphos
Præstiterit. Subdunt animis ingentibus acres
Facta ducum stimulos, partæque in pulvere lauri,
Ergo rudimenta, & nascentis pignora laudis
Prima fuere, feros manibus lacerare leones,
Pressisque immanes elidere faucibus urfos,
Nudum armis, fidentem animis. Quid Græcia jactat
Terrorem Nemees Alcidae robore victum?
Plura puer feci. Virtus crescentibus annis

Ipsa etiam crevit. Mutavi saltibus urbes,
 Aque feris arma in populos victricia verti.
 Hic quoque par fortuna fuit. Vix moveram in hostem,
 Et jam victus erat: pax & discrimine parvo
 Bella sequebatur, nostrum poscentibus ultro
 Gentibus imperium: pro me rem fama gerebat,
 Vixque omnis Libye pugnam suffecit in unam.
 Ergo novos orbis, penitusque reposta profundo
 Regna sub Oceano, vixque ipsi cognita soli
 Quærere consilium est: ne virtus limite mundi
 Æstuet angusto, pigraque in pace senescat.
 Repperimus, sceptris accessit Vesper Iberis:
 Flavescentes auro montes, atque æquora conchis
 Gemmiferis constrata, suis victoribus offert
 Americæ. Sed & hæc, fateor, victoria multum
 Non habuit laudis. Quid enim submittere inermes
 Laudis habet? Peperit justos Europa triumphos:
 Dum, quos sit pulchrum mihi vincere, suscitât hostes.
 Germanos domui: pendit captiva tributum
 Ausonia: infrænes Siculi mea jura verentur.
 Non libuit bellum Geticis inferre pruinis:
 Defensamque gelu claustrisque nivalibus Arcton
 Quærere, visa fuit res nostro indigna labore.
 Una jugum sedenim collo quassante recusat
 Gallia, luctaturque suis animosa ruïnis
 Nequicquam. Facit hos animos, redditque superbam,
 Nescio quis nostræ jamdudum debitus aræ
 Ogmius. Atque utinam campo deprensus aperto
 Sustineat mecum justo contendere Marte!
 Ille amens nosset quid vano distet Alastor
 Hercule, quam levibus præstent mea vincla catenis.
 Non potuit lentum ulterius cohibere furorem

Sic vocabatur
 Gallicus Hercu-
 les, de cujus cate-
 nis ex ore pen-
 dentibus vide Lu-
 cianum.

Ogmus : & vocem mentis turbante tumultu :
Coram adsum quem poscis , ait , mactandus ad aras
Victima grata tuas : votivum perfice munus,
Quando tam facilem spondet victoria palmam.
Nec plura his finit ira loqui. Discedere vulgus
Inde metu mutum jubet , & dare libera pressis
Ordinibus spatia , ingenti clamore tyrannum
Increpitans ; mediaque ferox consistit arena.
Sed non contra animis & pectore fractus Alastor
Ferre gradum , non ora potest infesta tueri.
Haudque aliter trepidat , quam sola in valle leonem
Pastor ubi offendit tumidus ; dum retia damis
Tendit , vel canibus leporem sectatur anhelum.
Genua labant , tremulis pulsu micat artubus horror.
Quid faciat ? quo se tanto in discrimine vertat ?
Hinc metus , inde pavor studia in contraria pectus
Abripiunt. Pudor est tumido sic ore locutum
Cedere , & ad pugnam non respondere vocanti.
Sed retrahit pavor , & nimium sibi cognita dextræ
Futilitas , miserumque animam postponere honori.
Spem vultu simulat tamen ; & quas non habet iras ,
Ingenio supplet , naturamque adjuvat arte.
Ter mulsit barbam consueto more minacem ,
Terribilesque oculos intorsit lumine fusco
Multa fremens : ter se , nullo prohibente , teneri
Indoluit. Cunctos in opem miser advocat astus :
In cassum , nec enim Alcides avertitur illis ;
Sed pugnae in studio perstat , nec jam ulla moratur
Foedera : cunctantemque , & supplice voce rogantem
Corripit amplexu furiosus Alastora , vique
Quassatum multa , prono super ipse sequutus
Pectore humi sternit , genibusque incumbit ; & arctis

Elidens manibus fauces, cum flamine vitam
 Eripit. At gelidum, dictu mirabile, corpus
 Vertitur in volucrem primum illo tempore visam.
 In rostrum vultus tenuantur: barba rubenti
 Mutatur palea: cristæ pro crinibus extant:
 Brachia luxuriant plumis, & pectora villis:
 Torquis adhuc collo superant vestigia crispæ;
 Concreto sedenim livorem à sanguine duxit.
 Et quia præcluso vox est elisa meatu,
 Non nisi singultus tremulos è faucibus edit.
 Haud tamen ille suos mores cum corpore vertit:
 Quoque vir intumuit, spectatur in alite fastus.

CICURES LUSCINIÆ

TOTA HYEME CANTANTES.

A D V. C.

LUDOVICUM PETITUM POETAM EXIMIUM.

SIRENES nemorum, pennatæ gloria gentis,
 Dicite, lusciniæ, quæ cantus tanta voluptas,
 Dum bacchatur hyems, & terras frigore vexat!
 Ecce omnis raptos arbor nunc luget honores:
 Desertæque suis odiosa silentia silvæ
 Hospitibus servant. Languent merulæque, parique,
 Et dociles sturni, pictis & acanthides alis:
 Et querula solùm testantur voce dolorem.
 Dulcibus interea mulcetis cantibus auras,
 Et veris mediâ celebratis gaudia brumâ.
 Nempe meus Daphnis vos excitat: illius ergo
 Rumpitis ante diem blandas in carmina voces:
 Natalesque umbras lucorum & frondea tecta

M iij